



ADMONITIO

DE EDITIONE SECUNDA.

In hac altera libelli nostri editione, (nam repetitionem eam, quae nobis insciis facta est in Batavis, Lugduni, non numeramus) adhaec fere sunt haec.

Primum, quoniam libellum bis lectionibus Academicis tractauimus, et, dum explicare studiosis et illustrare tentabamus singula, cum mora considerauimus omnia; animaduertimus, quaedam esse, non ita vel plane, vel accurate, et circumscripte expressa, ut nihil ambiguitatis aut dubitationis relinqueretur, nec lectionem, diligenter et cogitate expendentem omnia, morarentur. Itaque ante omnia hoc egimus, ut talia loca planiora efficeremus et pleniora, conseruata tamen breuitate ea, quae praeceptis est propria. Nam etsi libellum hunc maxime destinauimus lectionibus Academicis, per quas facultas datur magistro explicandi singula, et addendi, quae necessaria ad bene intelligendum videantur: tamen nolimus lectionem eius vel molestam esse vel minus frugiferam iis, qui legendo potius quam audiendo cognoscere rationem interpretandi a nobis traditam, si velint, possint.